









17029

N. 59

Ne 17, 4

16

DEO AUXILIANTE

PETRUS WER-

NERUS J.U.D. SE-

QUENTES CONCLU-  
SIONES

DE COMMODATO

*Pro loco Consequendo in amplissima Faculta-  
te Juridica*

Publicè disputandas proponit

RESPONDENTE

JOHANNE BENEDICTO ATHENÆO  
Rhenopolitano

*In auditorio Jureconsultorum*

Ad diem 10. Julij hora VII. matutina

LIPSIÆ, Typis Grosianis

Excudebat JUSTUS JANSONIUS Danus,

Anno M. DC. XVII

*proced.*

*J. Danus*



DEO AUXILIANTE

PETRIUS WER

NERUS I. U. D. S. E.

QUESTES CONCILII

SIONES

DE COMMODATO

Pro loco Consequendo in amplissima Faculta  
to Juris

Publice disputandas proponit

RESPONDENTE

JOHANNI BENEDICTO ATHENEO

Rhenopolitano

In auditorio Jurisconsultorum

Ad diem 10. Julii

Actum







## Thesis I.



Vtilitatem materiæ de Commodato multis demonstrare non est opus, sese enim ipsa ostendit. (a)

(a) l. 1. ff. de in integr. restit.

### II.

Commodare vocabulum latæ ac strictæ esse significationis, vel ex eo liquet, quòd lato suo ambitu complectatur omne id, quo alterius commodis, quibuscunq; pactis etiam id fiat, sive mutuum dando, locando, vel liberalitatem exercendo, inserviamus; (a) stricto verò id solummodo contineat, quod alteri gratis utendum conceditur. (b)

(a) l. sciant omnes 2. C. de his qui ex publ. rat. mut. pec. accep. lib. 10. l. patronus 35. ff. de legat 3. l. Commodis 40. ff. de re judic. (b) l. si pignore 54. §. eum qui 1. ff. de furt. l. ad eos 19. ff. Commod.

### III.

Inde est, quòd duplex Commodati oriatur appellatio, una lati seu generici significatûs respectu, quo commodatum dicitur quasi commo utentis vel accipientis datum; (a) altera stricti seu

A 2

specia-



specialis contemplatione, qua dicitur, quasi cum modo datum, eò quod<sup>noti</sup> indifferenter res concedatur, ut in precario, sed certa forma, præscriptoque ac limitato utendi modo. (b)

(a) *l. si ut §. nunc videndum 2. ff. h. t.*

(b) *l. in commodato 17. §. sicut 3. ff. hic.*

#### IV.

Definitur autem quòd sit contractus nominatus, bonæ fidei, realis, quo rei alicujus usus conceditur gratis, ita quidem ut res illa eadem in specie usu finito restituatur. (a)

(a) *passim ff. h. t.*

#### V.

Etenim cum alter alterum mutuo habeat efficaciter obligatum quin ex numero contractuum ultrò citroq; obligatoriorum hoc negotium sit, non est quod ambigatur. (a)

(a) *l. Labeo 19. de V. S. §. item is 2. inst. quibus mod. re contrah. obligat. l. obligationes 1. §. is quoq; 3. ff. de ob. & Act. l. in commodato 17. §. sicut 3. ff. commod. pr. Inst. de aut. tut.*

#### VI.

Cumq; præterea in quotidiano ac frequentissimo vitæ communis usu versetur, ipsoq; jure causam habeat definitam & nomine proprio appellatam, (a) meritò ijs, quæ in proprium contractus nomen transeunt, conventionibus hanc commodati ascribere placet.

(a) *l. ju.*



(a) *l. jurisgentium 7. §. quæ pariunt 1. ff. de pactis. l. in quam  
3. ff. de præscript. verb.*

### VII.

Causam illius efficientem propinquam statu-  
imus ipsam rei commodatæ traditionem, quâ  
cæteri contractus omnes reales perfici, substanti-  
amq; ac robur capere solent. (a)

(a) *princ. inst. quib. mod. re contr. obl. l. obligationes 1. §. is  
quoq; 3 ff. de Obl. & Act.*

### VIII.

Quo ipso efficitur, quod si ea non interveniat,  
minimè sit conventio cum causa, id est, negotium  
ad producendam actionem efficax, (a) sed in nu-  
dis solummodò placiti finibus consistat, unde  
nulla civilis obligatio, nullaq; actio descendit (b)

(a) *l. jurisgentium 7. §. sed & 2. ff. de pact. l. solent 15. de præ-  
script. verb. (b) l. jurisgentium 7. §. 4. ver. igitur. ff. de pact. l.  
inter socerum §. filia 4. ff. de pact. dotal.*

### IX.

Consensum tamen, ut in cæteris contracti-  
bus (exceptis ijs in quibus tanquam forma requi-  
ritur: ) (a) ita & in hoc ut efficientem remotam  
necessarium esse haudquaquam negamus.

(a) *tot. tit. inst. de Obl. ex cons. & nonnullis seqq.*

### X.

Objectum seu materialis causa sunt omnes  
res cujuscunq; etiam generis & conditionis, modò

A 3

sint



sint ejusmodi, ut earum aliquis usus esse possit,  
sive corporales (a) sive incorporales, (b) mobiles  
vel immobiles, (c) propriae vel alienae, (d)

(a) l. si gratuitam 17. ff. de praescript. verb. arg. l. velut. 2.  
l. quæsitum 8. §. si servitute, ff. de precar. l. si ut certo 5. §.  
quod verò 4. ff. commod.

(b) l. ait Prator 1. §. hujus 1. ff. commod. l. & habetis 2. ff.  
de precar.

(c) l. rem 21. §. in exercitu 1. l. in rebus 18. ff. hic.

(d) l. commodare 15. & l. seq. ff. h. t.

### XI.

Excipimus tamen res fungibiles, quibus cum  
ita comparatum est, ut nisi omninò absumantur  
& pereant, earum usus nullus sit. (a)

(a) l. sed mihi 3. §. non potest 6. ff. com. pr. inst. quibus mod.  
re contr. obl.

### XII.

Res enim commodatò acceptæ non ingenere  
ut res fungibiles, sed in specie reddendæ sunt. (a)  
Quamobrem cum hoc contra naturam commo-  
dati quam maximè sit, hunc contractum in ijs lo-  
cum non habere, rectè concludimus.

(a) §. item is 2. l. quib. mod. re contr. obl.

### XIII.

Nisi fortè dicis vel ostentationis ergo com-  
modatæ sint: Cum enim eadem ipsæ restituantur,  
nec utendo evanescant, nihil impedit quò minus  
commodato adscribamus. (a)

(a) l. 3.



(a) l. 3. §. 6. & l. seqq. ff. h. t. (b)

XIV.

Major est dubitatio de illis, quæ quidem non in totum per usum pereunt: sed frequenti attritione corrumpi solent, ut sunt vestimenta: Veruntamen non displicet eas iisdem accenseri. (a)

(a) l. si ut certo §. §. quin imò §. ver. imo ait. ff. com.

XV.

Primò quòd illarum usus esse potest, absq; tamen interitu (a) 2. quòd eo casu res vel vestimenta non intelliguntur deteriora reddita, quæ occasione illius usus, in quem concessa sunt, deteriora facta redduntur: Domino enim imputandum erit, qui tanti temporis usuram suæ rei dedit, quanto esset peritura. (b)

(a) l. sed si is §. & si vestimentorum 4. ff. de usufr.

(b) l. eum qui 10. l. si commodavero 23. ff. com. l. quod quis ex culpa 203. ff. de R. I.

XVI.

Forma in hoc potissimum consistit, ut rei commodatæ certus (a) usus (b) gratis (c) concedatur. Quæ cum rem in Esse maximè inducat, (d) facit ut eo ipso cæterorum contractuum ab hoc dilucida, & manifesta appareant discrimina.

(a) l. obligationes 1. §. is. quoz 3. ff. de obl. & Act. l. si ut §. §. sed interdum 7. ff. hic.

(b) l. in commodato 17. §. sicut. autem 3. ff. commod.

(c) §. item is 2. Inst. quibus mod re contr obl.

(d) l. II.



(d) *l. Iulianus scribit 9. §. si quis 3. ff. ad exhibend.*

### XVII.

Et primum quidem discrimen elucescit inter hunc & mutui contractum, quòd in hoc ejusmodi res veniant, quarum in restitutione altera alterius vice fungitur, quæ fungibilium inde à Dd. denominatione notantur. Quamobrem ultra usum etiam (propter dominij translationem) ab usum desiderat; Commodatum verò in solo usu acquiescit. (a) Quin etiam discriminatur eo ipso ab usufructu, quod usufructuarius plus juris in illa re, in qua usufructus ipsi constitutus est, habeat, quàm commodatarius. (b)

(a) *pr. inst. quibus mod. re contrah. obl. l. mutuum 1. ff. de reb. cred. l. obligationes 1. §. 2. ff. de Obl. & Act.*

(b) *§. minus autem 1. inst. de usu & habit.*

### XVIII.

Secundò, quia in Contrahendo commodato certa utendi forma à contrahentibus est denominanda, hoc ipso, hujus & precarij, quod nec tempus nec modum ceu hic contractus, habet indigitatur discrimen. Quamobrem etià quodocunq; commodati libitum fuerit, revocationi est subjectum, (a) quantumvis respectu usus duo isti contractus inter se conveniant.

(a) *l. precarium 1. in pr. l. ait Prætor 2. §. & naturalem 2. l. & habet is 15. ff. de precar.*

Quòd



XIX.

Quod præterea commodati contractus esse debeat gratuitus differentia inducitur hujus à locationis & conductionis contractu, ut qui absque mercedis interventu peragi nequit. (a)

(a) l. si ut §. Rem tibi 12. ff. comm. l. si gratuitam 17. §. 3. ff. de præsc. verb.

XX.

Nec hic prætermittenda est significatio verbi conceditur. Hoc enim ipso clarum fit, rem in commodato nec dandam, nec tradendam esse, cum neq; dominium, neq; possessio in commodato in accipientem transferatur, (a) sed quo ad usum solummodo concedatur. (b)

(a) text. est in l. 8. jun. l. seq. ff. hic.

(b) l. ait Prætor. 1. ff. eod.

XXI.

Causa finalis est, ut commodatario necessitate urgente nostris officijs subveniamus, isq; finito usu rem eandem in specie salvam nobis restituat. (a)

(a) sæpe d. §. item is 2. Inst. quibus mod. re contr. obl.

XXII.

Solet autem usus rei nonnunquam concedi cum temporis definitione, interdum etiam absq; tempore. Priori modo res est expedita, & obstrictus est commodatarius post temporis lapsum ad

B

id,



id, quod in commodatum accepit, restituendum:  
Interim tamen illo currente commodantem ab e-  
jus repetitione abstinere decet. (a)

(a) *l. in commodato 17. §. sicut 3. ff. commod.*

### XXIII.

Posteriori verò modo, ubi videlicet nihil tem-  
poris expressum est, tacitè illud commodato inef-  
se censetur, intra quod commodè usus, ad quem  
res concessa est, finiri potuit. (a)

(a) *l. continuus 137. §. cum ita 2. ff. de V. O. & communiter  
instituta ad §. 2. inst. quib. mod. re contr. obl.*

### XXIV.

Subjectum nuncupamus personas, quæ hunc  
contractum inire & celebrare valent, ut sunt com-  
modans, qui utendum dat, & commodatarius,  
qui utendum accipit.

### XXV.

De his regulariter tenendum, quòd eum om-  
nes expedire possint nisi specialiter ipso jure  
sint prohibita. Quarum inter cæteras est infans &  
pupillus, (a) propterea, quòd nullum eorum ani-  
mi sit perfectum iudicium, quòdve in jure pro ijs  
reputentur, qui quid agant, nesciant. (b)

(a) *l. ait prætor. 1. §. impuberes 2. ff. commod.*

(b) *§. præterea inst. quib. non est perm. fac. testam.*

### XXVI.

Quæ sanè prohibitio tollitur in pupillis, si tur-  
toris



toris autoritas, quæ ætatis defectum supplet ac-  
cesserit. (a) aut locupletiores facti sint, & tunc na-  
turaliter obligantur. (b).

(a) l. *quævis* 32. ff. de acq. vel amitt. poss. §. *neq̄ tamen* 1.  
instit. de aut. tut.

(b) l. 13. §. 1. de cond. indeb. l. 5. ff. de aut. tut.

### XXVII.

Et quoniam non multum à pupilli conditio-  
ne abhorret furiosus. (a) (imò multò ad contra-  
hendum ineptior est, cum non imperfecto, ut pu-  
pillus iudicio, sed planè totius mentis exilio labo-  
ret) (b) idem de eo sentiendum iudicamus. (c)

(a) l. *Fulcinius* 7. §. *plane* 11. ff. quibus ex caus. in possess. eat.  
l. 5. ff. de R. I.

(b) §. *neq̄* 1. inst. quib. non est permiff. fac testam.

(c) l. 2. hic l. 1. §. *furiosus* 3. ff. de acquir. vel amitt. poss. l. *fu-  
riofus* 40. ff. de R. I.

### XXVIII.

Interim tamen si tam huic absq; Curatoris,  
quàm illi absq; tutoris autoritate commodatū  
est, uterq; conveniri potest (a) non quidem perso-  
nali hac commodati, sed ad exhibendū actione,  
reiq; vindicatione, (b) cum incivile sit, àq; natu-  
rali æquitate multum distet, alterum cum alte-  
rius damno fieri locupletiolem. (c).

(a) l. *furiosus* 46. ff. de Ob. & Act. l. 3. in pr. ff. *Comm.*

(b) l. 2. ff. hic l. *furiosus* 46. ff. de Obl. & Act.

(c) l. *nam cum hoc natura* 14. ff. de cond. indeb. l. *jure nat.*  
206. ff. de R. I.

B 2

Idem



### XXIX.

Idem quoque censendum statuetur de prodigo, qui nec ipse sine curatoris consensu quicquam efficaciter peragere potis est, (a) cum ob morum dissolutionem tempus ac modum expensarum habendi omnino sit ignarus. (b)

(a) *l. is cui bonis 6. ff. d. V. O. l. si sciens 26. de contr. empt. l. ex castrensi 18. §. & in summa 1. ff. de castr. pecul. l. si curatorem 3. C. de in integ. rest. minor.*

(b) *l. lege 1. ff. de curat. furios. & aliis ex. min. dand.*

### XXX.

Nec dubitatur de servis, cum hi nec civiliter conveniri nec alios convenire possint, (a) naturaliter tamen ex Commodato ejus obligatos manere, nemo facile inficias ibit: (b) Diversum tamen erit, si quid in peculio ipsis sit. Tum enim tenetur dominus eatenus, quatenus in peculio reperitur. (c)

(a) *l. 22. in pr. ff. de R. I. l. heres 19. §. 3. ff. de judi.*

(b) *l. naturaliter 13. in pr. ff. de cond. in deb. l. si quod 64. ff. eo.*

(c) *§. actiones autem inst. de Act. l. quotiens 47. ff. de pecul.*

### XXXI.

Effectus commodati est, quod geminam producat actionem, unam directam, alteram contrariam. (a)

(a) *l. ait Prætor. 1. ff. hic. c. fin. extr. eod. l. in rebus 18. §. fin. l. in commodato 17. §. 1. & seq. item §. ult. d. tit.*

### XXXII.

Directa dicitur, quæ commodanti datur ad-



versus commodatarium, vel ejus hæredem, ad hoc, ut rem gratis determinato tempore ad certum usum concessam, integram & salvam reddat. (a)

(a) l. 17. §. 3. & passim ff. hic.

### XXXIII.

Incivile namq; esset, & sanè ab omni æquitate & humanitate quam maximè alienum, Commodato suæ rei inservire alteri, eamq; postea corruptam ac deterioratam recipere, (a) cùm nemini officium suum detrimentosum esse debere, tralatitium sit. (b)

(a) l. 3. §. 1. hic. (b) l. si servus 61. §. 5. ff. de furt. l. videlicet 29. ff. quibus ex caus. maj. rest. l. sed si quis 7. ff. testam. quem aper. l. absentia 140 ff. de R. I. l. si quando 19. C. de testi.

### XXXIV.

Et quoniam ejusmodi deterioratio, vel etiam totius rei interitus nonnunquam dolo commodatarij, interdum etiam culpa ejusdem, sæpe etiam fatali casu evenit, an ad singula illavi hujus contractus commodatarius sit obligatus, est quod in dubium vocetur.

### XXXV.

Et quidem ad dolum quod attinet, Commodatarius omnino tenetur, (a) adeò ut conventio illa partium, ne dolus futurus præstetur, contra

B 3

bonos



bonos mores esse censeatur, adeoq; rejiciatur à jure (b)

(a) *l. hoc edicto 1. in pr. ff. de dol mal. l. depositum 1. §. illud 7. ff. de pos. (b) l. si unus 27. §. illud 3. ff. de pact. l. in commo. 17. ff. hic. l. contractus. 23. ff. de R. I.*

### XXXVI.

De culpa major dubietas est enata. Rem tamen ita expediendam esse putamus: Si commodatum ad solius accipientis utilitatem est contractum, non saltem de lata & levi, sed & de levissima accipientē teneri, frequens est opinio. (a)

(a) *l. 5. §. nunc videndum, ff. hic. l. 1. §. 4. de ob. & A. §. item is cui 3. inst. quib. mod. re contrah. obl. l. in rebus 18. ff. hic.*

### XXXVII.

Estq; ratio, quòd cum totius rei commodatæ compendium Commodatarius habeat, meritò & omne dispendium ad eum spectet.

(a) Sed quoniam sæpe numero contingit, ut non solùm commodo accipientis, sed quoq; commodantis, atq; ita utriusq; causa contractus hic perficiatur, meritò eo casu ultra latæ ac levis culpæ præstationem Commodatarius non erit gravandus. (b)

(a) *arg. l. secundum naturam 10. ff. de R. I. & 203. eod. c. damnnum de R. I. in 6.*

(b) *l. 18. in pr. ff. hic. l. si cum 13. §. fin. ff. de pignor Act.*

### XXXVIII.

Quod si verò solius dantis nomine in hoc

con-



contractu vertatur utilitas, præter dolum & culpam latam præstandū nihil venire statuemus. (a)

(a) *l. si ut §. interdum l. eum qui, §. nlt. cum seq. ff. hic.*

### XXXIX.

De casibus fatalibus, cū regulariter ad eos nemo teneatur, meritò eorum præstatione accipiens sublevandus erit. (a)

(a) *l. 2. §. 7. ff. de admin. re. ad civ. pert. l. si ve hereditaria 22. ff. de N. G. l. in rebus 18. ff. com.*

### XI.

Nisi 1. vel periculum istud certo in se receperit pacto, (a) Contractus enim legem ex conventionione accipiunt: vel 2. in mora reddendi fuerit, (b), cū mora cuilibet debeat esse nociva, (c) vel 3. res æstimato utenda data sit: (d) Æstimatio enim præ se fert emptionem, (e) qua omne periculum in accipientem derivatur. (f)

(a) *l. 5. §. sed interdum ff. com. l. 1. §. si convenit 6. ff. de pos. l. 52. de V. O. c. 85. de R. I. in 6.*

(b) *c. uni extr. de com. (c) cum mora 25. de R. I. in 6.*

(d) *l. si ut §. et si forte 3. ff. hic. (e) l. plerunq. 10 in pr. §. 4. & 5. ff. de jur. dot. (f) §. cum autem 3. inst. de empt. & vendit.*

### XLI.

Et uti in cæteris Contractuum speciebus: ita & in hac ut tantò largior sit facultas agendi (a) plures aliæ cum hac concurrunt actiones, quarum unâ intentatâ altera statim regulariter suffocatur. (b)

(a) *l. fa-*



(a) *l. favorabiliores 125. ff. de R.I.* (b) *l. unde queritur 7. l. si servus 14. l. in rebus 18. §. 1. h.t. l. qui servum 34. §. ult de Ob. & A.*

## XLII.

Est autem illarum prima actio legis Aquiliae de damno injuria dato. Si enim vel Commodatarij negligentia vel culpa Commodatum aut detrimentum accipiat, aut penitus expiret, praeter illam & hac pulsandus venit, ut in tantum, quanti damnum est emendatio fiat. (a)

(a) *l. in rebus 18. §. si ve autem. l. unde queritur 7. ff. h. t.*

## XLIII.

Altera est actio Furti, si rei commodatae alium usum, quam in quem data est, adhibet, (a) Propterea quod usus iste fiat invito & non consentiente domino. (b) Secus tamen est, si Commodatarius, Dominum id facile permissurum sibi persuasum habeat (c)

(a) *l. 5. §. quin imò ff. hic. l. qui jumenta ff. de furt.*

(b) *l. 7. ff. hic.* (c) *§. 7. inst. de obl. quae quas. ex del. nasc.*

## XLIV.

Tertia est Actio ad exhibendum, & Rei vindicatio ex eo, quod hic contractus non sit ex numero eorum, quibus proprietates & dominium, sed nuda ejus rei ad usum definitum habendae de-  
tentio transferatur. (a)

(a) *l. 8. & seq. ff. hic.*

Con-



XLV.

Contraria commodati Actio dicitur, quæ commodatario competit adversus commodantem, ad hoc ut si sine culpa ex re commodata non nihil damni fecerit, id sibi restitatur & præstetur. (a)

(a) l. 18. §. ult. l. 21. in pr. cum l. seq. ff. hic.

XLVI.

Quæ præstatio ex quatuor potissimum resultat causis I. si ante expletum tempus, finitumq; usum commodans rem utendam datam in tempestive repetierit, quo casu ad id, quod sua interfuit, rem non fuisse ~~non~~ repetitã, agere potest. (a)

(a) l. in commodato 17. §. sicut autem 3. ff. commod.

XLVII.

Secunda est, si quid sumptuum necessario impenderit in rem commodatõ acceptam, quos ut repetat, æquitas ipsa suadet. Quod tamen non de tenuibus ac exiguis, sed de gravibus ac majoribus exaudiri volumus. (a)

(a) l. in rebus 18. §. possunt. 2. ff. hic. l. pen. C. h. t.

XLIII.

Tertia si res commodata deperdita ejusq; nomine justum pretium commodanti datum sit, ea si post modum in ejus potestatem revertatur, Commodans aut ad rei restitutionem vel æ-

C

sti.



stimationis refusionem commodatario hac  
contraria actione est obstrictus. (a)

(a) l. in commodato 17. §. ult. ff. hic. l. 2. ff. de cond. sine caus.  
XLIX.

Quarta si commodans scienter rem vitio-  
sam utendam dederit, undè damni aliquid com-  
modatario sit datum. (a)

(a) l. sæpè d. 18. §. item qui sciens 3. & l. pen. ff. Com.

L.

Quoniam autem jura ut plurimum favora-  
biliora erga reos quàm actores se præbent (a) le-  
vioribus etiam reus molestijs est obnoxius, quàm  
actor (b) tutius erit commodatario rei commo-  
datae jure retentionis incumbere, usq; dum de  
sumptibus illatis sibi satisfactum sit, quàm con-  
trarium hoc judicium instituere, atq; actoris par-  
tes in se suscipere.

(a) l. favorabiliores 125. ff. de R. I. (b) l. is qui destina-  
vit 24. ff. de R. V.

LI.

Compensationē in hoc judicio omninò non  
locum habere coronidis loco asseverare placet (a)

(a) l. ult. C. de Commod.

Quæstiones

**T**Itius in petendo à Sempronio Codicem hac  
utitur generali loquendi formula, Quæso tu-  
um



um mihi commodes Codicem: Quæstionis est,  
an commodatum, an precarium hoc modo con-  
tractum videatur? Posterius A.

2.

Si orti incendij tempore Commodatarius  
rem commodatam per ablationem salvare potu-  
isset: eò autem deditâ operâ neglectô, postea po-  
tius de suis ab interitu vindicandis sollicitus fuisset,  
an postea ijs peremptis, hoc commodati ju-  
dicio directo sit pulsandus? R. Quod sic.

3.

Nunquid si deterior res facta sit, Commôda-  
tarius autem interesse vel deteriorationis dam-  
num præstare paratus, cogi invitus possit com-  
môdare ad recipiendum eandem rem?

R. A jens opinio nobis arridet: modò ea de-  
terioratione principalis rei usus nō sit ademptus.

4.

Ultimò dubitationi exponitur, Cum usu  
hodie venire videamus, quod procerum Musici,  
Coqui, vel, alterius cujusdam probati hominis  
ministri ad petentium instantiam ipsis conce-  
dantur, utrum commôdati cōtractus eò ipso  
initus dicendus sit? Affirmativæ sententiæ sub-  
scribimus.

C 2

AD



AD DN. JOHANNEM BENEDICTUM

ATHENÆUM de materia Commodati  
Respondentem.

**A**rdua res, & cum sevo conjuncta periclo.  
Aurum & opes licitis accumulare vijs.  
Cernitur extremas hinc multus currere ad oras  
Per freta, per scopulos, aspera saxa, nives.  
Parta tuo, at sudore alij ne fortè cavere  
Turpiter absumant dilapidentq; bona.  
Crede mihi, virtus, minus haud est mascula justè  
Querere, quàm gazas Lydie Cræse tuas.  
Hanc artem thesibus conclusam adamande Johannes.  
Dans tyrocinium suaviter ipse doces.  
Perge: tuis cæptis celsi moderator Olympi  
Comprecor aspiret, præmia larga feras.  
Fausta acclamationis ergò adprope-  
rabat Lipsiæ

Johannes Böhém Viadro-  
Francofurtensis LL. Stud.

**E**T vetus & verum est, quod trita paroemia jactat:  
Conveniunt rebus nomina sæpè suis.  
Tî nomen JANI-BENEDICTO est; Re benedictum  
Hoc Pallas Sophiæ nomen in arte dedit.  
Nec satis: Ad Themidos te sacra trahit quoq; , cujus  
Hæc tibi nunc aperit Commoda materies.  
Perge iter inceptum benè texere; Sic tua tandem  
Convenient rebus nomina ritè suis.

Φιλίας ἕνεκα depp.  
Johannes Höpffnerus Francenhusa:  
nus LL. studiosus.



Leipzig, Diss., 1593/1613

ULB Halle

3

004 954 793




V. 17











B.I.G.

Farbkarte #13

Inches  
Centimetres

Blue  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White  
3/Color  
Black

571  
NTE  
WER.

№ 17, 4

16

D. SE-  
NCLU-

DATO

lissima Faculta-

oponit  
TE

ATHENÆO

torum

matutina

nis

ius Danus,

VII